

Christian Schlee Hermann Slorf

Theoremata Theologica De Lege Et Evangelio ...


Rostochii: Reusner, 1605

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756818044>

Druck Freier  Zugang



Schlee
Chr. Hedanus
R. U. theol. 1605.



THEOREMATA
THEOLOGICA
DE LEGE ET
EVANGELIO,

DEO benignè cœptis annuente,
Reverendi Collegij Theologici autoritate,
In Academiâ patriâ ROSTOCHIENSI,
explicata &

SVB PRAESIDIO
M. CHRISTIANI SLEDANI,

ad disputandum proposita

ab
HERMANNO SCHLORPHIO.



ROSTOCHII

Apud Christoph. Reusnerum. 1605.





VIRIS

CLARISSIMIS, CONSULTISSIMIS,

Dn. NICOLA O P A P K E N, I. V. Doctori,
& Illustrissimæ REGINAE DANIAE
Consiliario spectatiss.

Dn. HENRICO PAVLLI, Philosophiæ & Me-
dicinæ Doctori, ejusdem Illustrissimæ REGINAE
Medico celeberrimo :

IVXTA QVE
REVERENDO, SYNCERA PIETATE
& doctrinâ præstantissimo,

Dn. M. LVCAE BACMEISTERO, SS. Theol.
Professori in Acad. Rostochiensis, ac Dioecesis
Rostoch. Superintendenti digniss.


NEC NON
Dn. HERMANN O P A P K E N, Civi Rostochiensis
primario ac integerrimo :

*Mecenatibus, affinibus, & consanguineis, summo
observantia & honoris cultu perpetim
colendis,*

Theologicum hoc exercitium in benè meritæ de-
bitæq; gratitudinis, honoris, promptitudinis
& summæ observantiæ *μνημόσυνον* perpetuum,

offert & consecrat

Hermannus Schlorphius Rost.



ΣΥΝ ΧΡΙΣΤΩ



Obis ad DEI gloriam, nostriq; edificationem, præcipuos quosdam Christianæ Religionis articulos maximè controversos, ad pias ac placidas Cōsultationes, si permiserit Dominus, revocaturis, ordine optimo ac convenientissimo, ut presentis nostri fert instituti ratio, à primarijs univèrsam Religionem Christianam suo ambitu generatim complectentibus capitibus, **LEGE & EVANGELIO**, felix harum nostrarum Theologicarum exercitationum primordium capere, de q; ijs brevìa Theoremata cum annexis pijs ἱεροῦ dilucide è sacrâ scripturâ ductis, proponere est animus.

I.

Capita doctrinæ cœlestis præcipua duo sunt: **LEX & EVANGELION.**

1. Quum nobis de Libris Bibliicis, quos varij varîè dispescere solent, nulla sit dissertatio, quâ sint illi & quales: ideo istis librorum distinctionibus, tanquam præconcessis quibusdam ac præcognitis, omisiss, ipsam potius doctrinam de fide & cultu DEI Biblijs sacris comprehensam in presentia attendimus. Commodissimè verò istam in **LEGEM & EVANGELIVM** distinguimus.
2. Quam ἁγιογραφία Scriptura ut passim probat, ita verbis significantissimis, non uno loco inculcat. Quid n. aliud Salvator sibi vult, dum Apostolos de Veteribus & Novis ex docti cordis Thesaurò depromendis, sub Metaphoricâ locutione monet, *Matt. 23. v. 52?* quibus & de pœnitentiâ & remissione peccatorum in Ecclesiâ prædicandâ, verbis proprijs præcipit, *Luc. 24. v. 47?* prius Legis, posterius esse Evangelij proprium nullus dubitat.
3. Similiter & Apostolus clarè distinguit concionem de operibus legis & ἀγγελία ἡμῶν, doctrinam de fide in Christum, qua est Evangelion, *Gal. 3. v. 2.* Clarius eandem distinctionem insinuat, *Gal. 3. v. 18.* Si, inquit, ex Lege est hæreditas, jam ex promissione

non est amplius. Quod verò de promissione dicit, idem valet,
quod nos de Evangelio dicere solemus: ac clarissimè hac ^{dyxerunt}
pila extat, Rom. 3. v. 21. & 1. 17. Sine Lege in Evangelio ma-
nifestata est iusticia Dei.

4. Eodem pertinet & illa Paulina Litera & Spiritus concio, Rom. 2.
v. 27. & 7. v. 6. 2. Cor. 3. v. 6. ubi citatis locis per Literam
Idiotismo Apostolico Lex Dei: termino autem Spiritus, Euange-
lion & gratia Dei venit.
5. Idem Apostolus duobus Abrahami filijs, uno ex ancillâ, altero ex li-
berâ prognatis, duo isthac doctrinarum genera, seu duo testa-
menta, qua Legem & Evangelion dicimus, praefigurata esse, per
allegoriam eleganter ostendit. Galat. 4. v. 24.
6. Est autem verè classica hac in Legem & Evangelion religionis
Christiane partitio, non ab Apostolis primitus inventa; Za-
charias sub propheticâ duorum pastoralium baculorum similitu-
dine, quorum alterum appellavit Amabilem, alterum Dolorem,
rem hanc proposuisse videtur. Zach. 11. v. 10.
7. Idem & Icremias sine verborum vel picturarum involucris conten-
dit; qui tabulas ac literas testamentarias formulam pacti seu
fœderis, quod Deus cum genere humano inijt, continentem, con-
stituit geminas; Testamentum aliud Vetus, aliud Novum asse-
rens. Ier. 31. v. 31 32. Quam Propheta assertionem contra ipsius
sententiâ, lesuita, ut nos fallaciter convincat, ac si necesse non
fuisset doctrinam Christi & Apostolorum in literas referre, falsò
ad universa Biblia, qua verius Instrumentū cum Augustino, quàm
Testamentum cum vulgo appellandū censemus, accommodant.
8. Esto ergò evictum; Summa capita universa doctrina caelestis,
quam Propheta juxta ac Apostoli integram suis libris, suisq; tem-
poribus professi sunt, esse duo, LEGEM DEI, & EVANGELION
Christi; ex quibus ceteri doctrinae Theologicae loci, seu è fontibus
duobus, rivuli uberrimi scaturiunt ac profluunt saluberrimi.
Lacunas alias si effoderimus, turbidam ac venenatam hauriemus.

Atq;

Atq; ob id in disputationibus, concionibus, cæterisq; actionibus & contemplationibus Theologicis semper aures nostras personæ gravissimæ Prophetæ vox: *Ad Legem & Testimonium, Esa. 8. 20.*

II.

Sunt verò duo isthæc Theologiæ totius capita, ut diversa, ita minimè confundenda, sed toto (quòd ajunt) cœlo distinguenda.

1. *Quemadmodum Apostolus 2. Tim. 2. v. 15. in genere sollicitè docet, quòd τὸν λόγον & αἰτίαις ὀρθοτομεῖν oporteat: ita Ecclesia in specie monèt, præmemoratas istas Religionis Christianæ partes, non confundere, sed ritè secare & distinguere, ut in salutis negotio suum cuiq; locum relinquamus.*
2. *Etenim Apostolus cum justitiam fidei coram Deo suis argumentorum vinculis vincire annititur, varia illa quidem ex scripturis Propheticis eaq; certissima profert: at omnium sunt firmissima, acroamatica, certiq; apodictica, que ex Legis & Evangelij dissidio nectit, Gal. 3. Quin & ad Romanos de Iustificacione disputaturus fundamenti quasi loco jacere, ac præsupponere videtur hoc axioma, Esse legem & Evangelion non permiscendum, sed inter se discernendum. Nam justitia Dei, inquit, in Evangelio revelatur, Rom. 1. 17. sine Lege cap. 3. v. 21.*
3. *Atq; adò nisi accuratè ab invicem discernantur, non modò in loco de justificatione omnia tenebris quasi nigrescunt: verùm etiam singuli propemodum Religionis Christianæ articuli sensibilem patiuntur jacturam, quòd inductione monstrare cæt in proclivi: ne dicam, quòd obscuratà, nedum plane extinctà istarum partium disconvenientià, æterna æterna salutis nostræ lux per Christum accensa tantis dubitationum tenebris obscuretur, quantis quondam Actæorum ignium finitimas regiones obscurasse perhibentur.*
4. *Quòd si enim statuatur Evangelij proprium esse, non solùm gratuitam Promissionem per Christum fide apprehendendam annunciare, sed & studium bonorum operum per se urgere, evictum*

Pontificij habent, de quo diu multumq; nobiscum dimicarunt, Causam videlicet partialem justificationis nostra esse bona opera. Immotum enim illud Apostoli axioma sibi constat: In Euangelio revelatur justitia Dei, Rom. 1. v. 17.

5. Hinc Lutherus in Comm. ad 2. cap: ad Galat: Qui, ait, benè novit discernere Euangelion à Lege, gratias agat Deo, & sciat se esse Theologum. Et certè in tentatione meâ nondum novi, ut deberem. Etiã tam diligenter distinguas justiciã Euangelij à justitia Legis, quàm diligenter distinxit Deus cælum à terra, lucem à tenebris, diem à nocte, atq; utinam adhuc longiùs eas discriminare possimus.
6. Vt igitur B. Lutherus totus in eo fuit, ut Legem ab Euangelio discerneret, atq; summam sapientiam Theologicam esse putavit, ut quis probè nosceret Legem & Euangelion esse discriminata doctrinæ cælestis capita, non confundenda; ita hæc ipsius opera fuit ceu fax lucidissima, qua densissimas regni Antichristianismi tenebras discussit. Vnde nos illum tanto honore venerari non possumus, quanto odio eum prosequuntur tenebriones Monachi, quòd nitidissimum nitorem doctrinæ Prophetica & Apostolica secundum Deum induxerit.

III.

Cumque varia inter Legem & Euangelium discrimina intercedant: non incommodè à materiã & formã utriusque doctrinæ repugnantia peti poterit.

1. Si quis Legis & Euangelij causas per se externas seu *causas*, Efficientem & Finem, venari volet, utrumq; doctrinæ genus concordissimè inter se congruere animadvertet: si internas seu *causas*, Materiam & Formam; consociatio & communitas inter utrumq; dissolvitur & alterum alteri repugnat.
2. Respectu Externarum & quidem ex parte Efficientis est idem Iehova Triunus, tam Legis, quàm Euangelij Rom. 1. v. 1. autor.
3. Ex parte finis principalioris & ultimi, est itidem unus idemq; utriusq;, perfectissima nimirum omnibusq; numeris absolutissima,

qua

qua in creaturam cadere potest, iusticia, qua via est ad vitam aeternam. Sine hac enim frustra est, quod quis vitam aeternam ingredi se posse arbitretur. Unde Lex non minus, quam Euangelion est potentia Dei ad salutem.

4. Verum enim verò si Materia & Forma, hoc est, modus queritur, quo finem Legi ac Euangelio communem assequimur; illustris inter legem & Euangelion diversitas, oppositio, seu, ut λογικῶς τοῦτος loquar, repugnantia conspicitur.
5. Ex parte Materia; I. Lex est τῶν περὶ αὐτῶν, Matth. 19. 17. Luc. 10. 28. Euangelion τῶν πεισῶν. II. Euangelij subjecta materia est Christi obedientia pro nobis praestita; Legis verò sua cuiusq; propria. III. Ut praecepta ad agendum, & promissiones ad fruendum differunt: sic Lex & Euangelion. Illa in praeceptis est occupata; hoc circa promissiones versatur: uti eleganti paranomasiâ Apostolus Euangelicam istam materiam explicat, Roman. 1. 2. θεῶν ἐλεῖον ὁρῶντες ἐλεῖται.
6. Ex parte Forma; I. Lex enim τοῦτος ἡμῶς habet ἀδυναμίαν Rom. 8. 3. Euangelium v. est δυνάμις θεῶν ad salutem in nobis efficax, Rom. 1. 16. II. Et si Lex quidem κατὰ ἐκείνην est potentia Dei ad salutem, est tamen non nisi facienti, & mercedem facienti imputat secundum debitum. Rom. 4. 4. Euangelion verò credenti, & mercedem credendi secundum gratiam. Rom. 1. 16. & 4. 4. III. Et non quidem superficialiam atq; externam obedientiam legi facienti Lex cedit in iusticiam, qua via est ad salutem: verum iusticia Legis ex plenâ & perfectâ factorum sive operum, & horum quidem priorum, praestatione aestimatur, Rom. 10. 5. Gal. 3. 10. Iusticia autem Euangelij ex alienâ obœdientia, Christi nimirum imputatione, 2. Cor. 5. 21. IV. Cumq; carnis imbecillitas, illud τὸ ἀνεγὼν Legis assequi non possit, Euangelium est peccatoribus potentia Dei ad salutem, Rom. 1. 16. Ioh. 6. v. 63. 68. Lex iisdem est potentia ad condemnationem 2. Cor. 3. 8. Est ἡ δυνάμις ἀμαρτίας ὁ νόμος 1. Cor. 15. 56.
7. Summa. Lex predicat & monstrat iram, culpam, pœnam, maledictio-

dictionem, morbum, egrotum: Evangelion indicat gratiam, remissionem culpa, absolutionem à pœnâ, benedictionem, medicum, remedium. Et rectè Lutherus, utramq; doctrinam versari circa peccata asserit: at diverso modo. Lex arguit, ostendit, accusat, imputat, damnat peccatum. Evangelium verò remittit, regit, non imputat peccatum; quia monstrat agnum Dei tolerantem peccata mundi.

8. Adhæc Lex naturaliter est aliquo modo nota Rom. 1 & 2. Evangelium v. est μυστήριον aternis seculis absconditum, nec rationi in minimis cognitum, nisi per Christum seu λόγον atq; aternum oratorem nobis è sinu patris reveletur. Rom. 16. 25. Ephes. 1. 9. & 3. 9. 2. Tim. 1. v. 9. 10. 1. Pet. 1. 20.
9. Habemus igitur & in quo utrumq; doctrina genus conveniat, & in quo dissideat. Si quis a. tantarum rerum in Lege & Evangelio repugnantiam non videt, nihil profectò sapit.

IV.

Etsi autem hæc Legis & Evangelij sunt differentia capita, & alterum alteri maximè repugnat, uti est Theor. superiori demonstratum: neutrum tamen oppugnat alterum.

1. Vetus fuit isthæc Pseudoapostolorum objectio: Legem-ne ergò per Fidem, hoc est, Evangelion κατὰ εὐαγγέλιον, destruimus, evacuamus? Absit à Christiano pectore ejusmodi paradoxon, regerit Apostolus, Rom. 3. 31. imò tantum abest, ut Evangelicâ doctrinâ aboleatur & irrita reddatur Lex, ut magis magisq; per Evangelij doctrinam stabiliatur ac firmetur. Quod à Pseudoapostolis dictum, in quo eis ab Apostolo fuit contradictum; idem & hodiè veri Christiani partim in Romanenses, partim in nostri seculi Antinomus, in utròsq; Pseudochristianos retorquent.
2. Etenim utut sua sint utriusq; doctrina differentia officia, de quibus superius est actum: tamen cum ad praxin ventum fuerit,

ut

ut utrūq; suum quod est ad salutem operari queat, alternas seu mutuas sibi operas impertiunt. Neg; tamen Euangelium inducit Legis essentiam: nec contra Lex abit in naturam Evangelij, sed & Lex Euangelio utitur, & Euangelium in Legem dignum intendit.

3. Dum enim lex flagitat, ut, si ad vitam ingredi velis, ei perfectam, plenam & spiritualem obedientiam persolvas: Euangelium tibi monstrat Christum *ὡς ἀπαρτήν* Ecce agnus Dei, Ioh. 1. 29. is, quod non rapuit, pro nobis raptoribus exsolvit, Psal. 69. 5. Quo spectat locus ille verè classicus qui totam hanc rem illustri compendio declarat. Gal. 4. v. 4. 5. Deus misit filium suum factum ex muliere, ut eos, qui sub Lege erant, redimeret. Similis sententia extat Rom. 8. v. 3. Quod igitur per nos Legi deest, id Euangelion in nobis per Christum recompensat.
4. Deinde & Euangelium subvenit Legi, quòd, quando Euangelium proficitur, non esse ulli mortalium nomen concessum, in quo salvari possimus, nisi unicum nomen Iesu Christi, ex opposito docet, omnes homines esse sub peccato. Vnde graviter & piè Luth: ait disput: 4. contra Antin: propos: 24. Cum dicit Deus, in semine tuo benedicentur omnes gentes, ostendit, omnes gentes in se esse damnatas. Vnde autem quomodo & quare sint damnatae, ex Lege discitur. Item, Paulus eo ipso quod (directè) docet, omnes homines justificandos in Christo; (obliquè) arguit, omnes homines peccatores esse, quod officium Legis est.
5. Sicuti igitur Lex directè, propriè & per se peccata arguit, obliquè vero ad Christum quasi manu ducit: Ita Euangelium per se ac propriè Christi gratiam prædicat, per accidens & obliq; peccata incusat. Nec igitur hoc sensu Lex & Euangelion se mutuo tollunt & oppugnant, sed magis ponunt.
6. Præterea Euangelium dum nos justos pronuntiat, atq; à peccatorum reatu plene planeq; absolvit; non nobis vivendi, ut velimus, facultatem & licentiam concedit, sed ad Legem non cogentem, non

terrentem, sed qua Deo opera bona placeant prescribentem remittit, ut grati animi pro gratuita nobis per fidem Christi imputata iustitia testificandi ergo dies noctesque in lege, ut filios lucis decet, vitam nostram transigamus in sanctitate & iusticia cunctis diebus vita nostra. Luc. 1. 74. qui pro nobis semetipsum dedit, non modo ut nos ab omni iniquitate redimeret: sed etiam populum peculiarem, zelotem bonorum operum purificaret, Tit. 2. 14. Euangelium igitur ut clare de peccatorum remissione concionatur, ita non obscure docet de interna spiritus nostri renovatione, que quomodo sit conformanda, Euangelium tacet & ad Legis prescriptum nos remittit.

7. Nec igitur Legem in Euangelion, nec Euangelion in Legem transformamus: Sed utrumque doctrinae genus majorem in modum stabilimus, estque inter utrumque, (ut compendio dicam) discors concordia, hoc est, cum inter se sint diversa, tamen juncta, unum quoddam $\delta\tau\omega\tau\epsilon\lambda\epsilon\sigma\mu\alpha$ consciunt, dum unum alterius vires temperat & suis finibus coërcet.

V.

Ut itaque de utroque doctrinae coelestis genere distinctissimo distinctim agamus: Prius de Lege paucos Aphorismos proponemus, quam de Euangelio controvertamus.

1. Hanc docendi Methodum & Scriptura & Experientia & Natura rei satis superque comprobat. Natura quidem; nec enim Euangelion erigit, nisi prius legis fulmine prostratos; non sustentat, nisi Lege consternatos; non admittit, nisi iram Dei propter peccatum ex Lege confessos, non loquitur; nisi ad subjectos Legi.
2. Experientia vero, quam etiam docentium praxin dixeris; annon prima Dei concio ad protoplastos fuit Legalis de vescendo ligno arboris vetite. Gen. 2. 17. quam post lapsum demum esse insecuta concio Euangelij de benedicto semine, Gen. 2. 7. 15.
3. Similiter Prophetae suas conciones à severissimis legis praeceptis & gravissimis paenarum comminationibus exordiuntur.

4. Nec quicquam ab hoc docendi modo Christus & Christi praeo Iohannes in suis concionibus desciverunt, Matth. 3. 1. & 4. 17.
5. Fuit hujus methodi Apostolus in artificiosa sua ac quasi Cathedra Epistolâ ad Rom. exarata (ubi seipsum ferme exuperasse, non modo in rerum ignorantia, sed earundem quoque omnino visus est,) tanquam docenti juxta ac discenti maxime necessaria & convenientissima observantissimus. Ac proinde valet illud, quod dici solet, Christi & Apostolorum actio, nostra est institutio.
6. Scriptura denique suum addit calculum, quae primo loco semper poenitentiam ex lege acuendam docet, quam peccatorum remissionem ex doctrinâ Evangelij proponatur, Luc. 24. 47.

VI.

Principio igitur quod LEGEM attinet: proprius nobis hoc loco fermo est de LEGE MORALI, quam Decalogum frequenter appellamus.

1. Lex est ratio summa insita in naturâ, quae jubet ea, quae facienda sunt, prohibetque contraria. Eadem ratio, quam est in hominis mente confirmata & confecta, Lex est, itaque arbitrantur Prudentiam esse Legem, cujus ea vis sit, ut recte facere jubeat, vetet delinquere: eamque rem alij Græco nomine putant suum cuique tribuendo (vobis enim dicitur res vobis distribuere) appellatam: alij Latino à Legendo. Nam ut illi aequitatis, sic hi delectus vim in Legge ponunt, & proprium tamen utrumque Legis est.
2. Sed quoniam in populari ratione omnis nostra versatur oratio, populariter interdum loqui necesse erit; & appellare eam Legem, quae scripto sancit, quod vult, aut jubendo aut vitando, ut vulgus appellat; quemadmodum Tullius eruditè & eleganter hanc Legis Etymologicam notationem lib. 1. de Leg. exponit. Sed valeat hæc Philosophorum de Legge contemplatio & scriptura vocem audiamus.
3. Tripliciter verò terminus Legis in scripturis usurpatur. I. Κατὰ φύσιν, non enim dicitur de omni, quod quoquo modo & motus naturales & actiones voluntarias regit. Unde ordo ac series naturæ,

quã simile simile generat, quãq; qualibet res naturali instinctu mo-
vetur, dicitur Lex naturæ. Sic statuta Tyrannorum, quamvis ini-
quissima, Leges appellare solemus. Et Apostolus naturali ac origi-
nali corruptioni, quippe quæ ad actualia peccata perpetranda nos
allicit & impellit, vocem Legis κατὰ φύσιν quædam attribuit,
Rom. 7. 23.

4. II. Κοινὸς accipitur Aut de universa doctrina cœlesti, cujus & di-
stinctam partem esse Evangelion Theor. 1. ostendimus. Hinc Paulus
aliam esse legem operum, aliam legem fidei, subinde inculcat, &
Gal. 2. 19. per Legem, inquit, Legi mortuus sum. Esa. 2. 3. Ex Sion
exibit Lex, hoc est, Evangelij concio. Decalogus enim seu lex pro-
priè sic dicta, non ex Sione sed ex Sinai exhibat: Aut de libris sacris
veteris instrumenti integram illam cœlestem doctrinam compre-
hendentibus sive universis, (ut e. g. Ioh. 10. 34. Scriptum est in
lege, h. e. in libro Psalmorum, Ps. 81. 6. Item, 1. Cor. 14. 21. In
lege h. e. in Esaia scriptum extat) sive speciatim, qui solius Mosis
nomine circumferuntur, ut Matth. 7. v. 12. Hæc est Lex & Pro-
pheta, Luc. 24. 44. Scripta sunt in lege Mosis, & Prophetis, &
Psalmis de Christo.
5. III. Ἰδὸς significat recti præceptionem, praviq; depulsionem seu nor-
mam actuum humanorum probatam & honestam. Iuxta hanc pri-
mariam Legis significationem primâ divisione Leges partimur in
humanas & divinas: inter quas quæ & qualis sit differentia ex
Catecheticis libellis cuiq; notum esse potest.
6. Sunt verò humanae leges Positivæ aliæ, aliæ Ecclesiastica: de quibus
hoc loco copiosius differere est præter institutum.
7. Divinarum tres constituuntur partes; quarum quæq; propriè Legis
nomine exprimitur; CEREMONIALIS, Luc. 2. 22. FORENSIS, Ioh.
19. 7. Act. 23. 3. & MORALIS, Rom. 10. 5. ac priorcs duæ ex
posteriori derivantur, eiq; subserviunt, tanquam certæ circum-
stantiarum determinationes.
8. Discrimina porrò inter illas leges Divinas, usitatè à noticiâ, objectis,
finibus, tempore & obligatione sumuntur. 9, Cæ-

9. *Ceterum Ceremonia abrogata sunt, quia Christus, quem respiciebant, tanquam typos antitypon, dudum venit. Forensia mandata sunt antiquata, quia Respublica Iudaica, cujus illa erant vincula, est pridem eversa. Sed & hae Ceremonialibus & Iudicialibus statutis, & quae circa haec controversi solent, valere iussis: deinceps de LEGE MORALI dicemus.*

10. *Hic tamen quasi in transcurso notandum est, Legem Naturae in naturam integram à Morali lege non differre, nisi patefactione: in Naturam v. corruptam reliquam mansisse particulam quandam de obedientia externa. Rom. 1. & 2. Quam ipsam de causa Deus, qui hanc suae sapientiae & iustitiae normam protoplastorum mentibus in primâ creatione inscruerat, post in monte Sinai paucissimis verbis quasi compendio complecti, ac demum per Prophetas, Christum & Apostolos subinde illustrare voluit.*

VII.

Confitemur autem Legem Dei in Ecclesia Novi Testamenti purè ac incorruptè docendam & sedulo urgendam.

1. *Furorem verius dixeris Nomomachorum, quam errorem; quod condemnationem Legis ex Ecclesia proscribendam & ad forum civile remittendam blasphemè profitentur, nec dignam esse, quae Dei verbo indigitetur, clamitant.*

2. *Sed militant in contrarium argumenta firmissima. Si enim homines, qui in externo Ecclesia cœtu conviunt, consideremus, sunt boni mixti malis & mali mixti bonis, & est cuius Lex apprime necessaria. Malorum numerus in Ecclesia excedit; ad quos inredibilis ex Lege redit utilitas, nempe τῶν ἀμαρτανῶν ὀφειλοῦσιν. Rom. 3. 20. ut hac ratione, si fuerint hypocritae, ne de propria iustitiâ præsument; si flagitiosi, ne de irâ Dei fiant securi. Nec sanctorum quisquam Lege carere potest, quae non modo ijs est speculi lucidissimi instar, in quo voluntatem Dei θεοῦ ἐκείνου ἰδέειν conspiciere possunt: sed etiâ quia in ipsis multorum peccatorum reliquia remanent,*

ut indies magis magisq; mortificentur, Legem subinde intuentur: quandoquidē piorum vita est perpetua mortificatio ac continua pœnitentia. Nec quidquam dicunt, qui, quod Legis est in Ecclesia, id ex Euangelio recompensari posse opinantur. quæ opinio superiora Theoremata non pauca planè evertit.

3. Deinde sicut iusticia Dei ad temporum vicissitudines non variatur, sed immutabilis est & aterna: ita neq; Lex, quæ non est nisi expressa aterna hujus iusticia Dei Archetypi quasi effigies & regula, mutationi subjacet, sed est ac permanet aterna.
4. Idem creberrimæ exhortationes, deborationes, ac communicationes evincunt, quas Apostoli in Novo Testamento ad Christianos instituunt, atq; ex Decalogo mutuuntur, cui & germanum sensum contra Pharisæorum & PseudoApostolorū glossas ac corruptelas restituunt. Id si à Novi Testamenti ministerio fuisset alienum, annon impertinenter satis & inscite (sit dictis venia) Apostoli fecissent, qui voce Legis suos auditores à morum improbitate ad studium bonorum operum revocare voluerunt, Rom. 13. v. 8. 9. Eph. 6. v. 1. 2. & 4. 22.
5. Porro si Lex fuit, ut profectò omnium confessione necessariò fuit, veteri populo Israelitico inculcanda: causa nulla est, ut in Novo Testamento eam abolitam esse credamus. Christus enim Θεω-παις, quatenus est Novi Testamenti substantia, non venit solvere Legem, sed implere, Matth. 5. v. 17.
6. Deniq; est Legis concio non modo non aliena à ministerio N. Testamenti, sed si isthac à ministro Christi atq; dispensatore mysteriorum Dei negligatur, ob id, infidelitatis jure optimo is insimulatur, 1. Cor. 4. 2. quòd thesauri sibi concrediti rationem non habuerit, ex quo tanquam paterfamilias, tum nova, tum vetera, hoc est, Euangelion & Legem depromere debuisset, Matth. 13. 52.
7. Estq; igitur non minus in Ecclesia Novi Testamenti Lex Dei accuratè docenda ejusq; observatio urgenda, quam in Veteri Testamento à Prophetis fuit factum.

Lex

VIII.

Lex Dei itaque *καὶ ἐὰν τὴν* non est abrogata, sed *καὶ ἄλλο* dicitur sublata.

1. Quoniam non una est conditio hominum, quibus Lex commendatur, ob id nec unus est Legis respectus. Sunt enim vel *ἠῶσι* ac renati, vel *ἄῃσι* & non renati. Quoad hos, eadem semper illis Legis facies resplendet, iustaque Dei ira, cui natura subjacent, eos manet. Iohan. 3. 36.
2. Sunt vero duplici ratione Legi obnoxij. 1. Propter damnationem, quam Lex omnibus ipsam non servantibus minatur. 2. Propter servile imperium & coactionem. Itaque, ex opposito facile est judicare, quo respectu renati à Lege per Christum sint manumissi & emancipati.
3. Sicut enim Christus & maledictionem Legis in se sustinuit & spiritum adoptionis & renovationis nobis est largitus, ut liberè ei deinceps servire possemus, ita in Evangelicam libertatem asserti perhibemur, eò quod 1. Liberati sumus à Lege quoad maledictionem, h. e. à sententiâ Legis formidabili aeternum exitum minante. Christus enim factus pro nobis execratio, & durum illud Legis iugum à nostris cervicibus abstulit, seque Legi subdidit, ut nos, qui Legi eramus obnoxij, redimeret. Galat. 4. v. 4. 5. Rom. 6. v. 14. Non sub Lege estis, sed sub gratiâ.
4. II. Liberati quoque sumus à Lege quoad coactionem seu necessitatem *βιασμῶν*, id est, à servo & servili legis imperio. Manet quidem sententia Legis de obedientiâ præstandâ. (Est enim Decalogus immota divina voluntatis regula, secundum quam Deus sibi obedientiam præstari jubet) verùm eam nunc porro, qui renati sumus debemus & debitam præstamus non ex legis coactione & per vetustatem Literæ; sed per Spiritus liberrimi novitatem. Rom. 7. 6. ut quòd debemus, ex obsequijs ab ardenti animorum affectu promanantibus, præstemus. Cum non simus filie ancille, sed libertæ. Gal. 4. Et quamvis renati etiam Legem in membris suis rebellan-

bellantem Legi mentis sua sentiant, tamen lex eos delectat secundum interiorem hominem, Rom. 7.

I X.

Quis autem Legis usus, quodvè ejus sit officium, propter quod hominibus data, usitatè triplex constituitur.

1. ut homines feri & intractabiles, quasi repagulis quibusdā coërceantur. 2. ut peccata sua seriò agnoscant. 3. ut renati habeant certam vivendi regulam.
1. *Hac controversia & præcipuè quidem, quoad tertium Legis usum, in aureo libro Formula Concordiæ, Artic. 6. egregiè & plenè contra Antinomos explicatur. Ad istius libri nostri symbolici confessionem atq; assertionem nos itidem triplicem Legis usum credimus & confitemur.*
2. *Prior est politicus; ut scilicet hypocritæ, Epicuræi, cateri q; profligatè scelerati externâ, qualicunq; disciplinâ coërceantur, atq; pœnis & minis, ceu habenis immisissis in officio contineantur (siquidem ode-runt peccare mali formidine pœnæ) ut externa ac civilis hominum societas conservetur. 1. Tim. 1. 9. Injustis, impijs. contumacibus, &c. Lex est posita.*
3. *Alter est Spiritualis ac Theologicus, de quo B. Lutherus in Comm: 3. ad Galatias scribit: Officium & usus Legis est, non solum peccatum & iram Dei ostendere, sed etiam compellere ad Christum. Est igitur bipartitus secundus hic legis usus; Vnus Elencticus; Alter pædagogicus. Vtrumq; dilucidabimus.*
4. *Lex quidem à dno ac per se est ad vitam data, Rom. 7. 10. quam suis quoq; observatoribus promittit, Levit. 18. 5. Rom. 10. 5. per accidens tamen nec hominem justificare, nec salutem ei impertiri potest, quandoquidem hac ἀδυναμία ex nostrâ infirmitate Legi accidit, Rom. 8. 3. Vnde Apostolus, Si, inquit, Lex data esset, qua posset vivificare, revera ex lege esset justitia. Posset enim salvare Lex, si ab hominibus servari posset. At quia non potest, nec illa salvare potest.*

s. Sic

5. Sic igitur sublato amplius Legis officio ac usu proprio & essentiali, remansit accidentalis, nimirum esse peccati indicem, Rom. 3. 20. & 7. 7. propter peccatum reos ira Dei constituere, Rom. 7. 10. ex recatu angores & tremores in mentibus relinquere. Rom. 7. 8. ex animi anxietate medicum & solatium avidissimè expetere, Galat. 3. v. 24.
6. Ad hunc secundum & primarium Legis usum, eumq; Elencticum alludit Apostolica *ῥῶσις*: Lex subintravit ut abundaret delictum, Rom. 5. v. 20. non ut peccatorum numerus augetur, quod primo legis usu cautum esse Dominus voluit, sed ut eorundem atrocitas & magnitudo ostenderetur, Rom. 3. 20. 1. Cor. 15. v. 56. atq; conscientijs pavores ira divina injicerentur, Rom. 4. 15.
7. Dum autem suo hoc Elenctico officio Lex perfungitur, non ad desperationem viam per se sternit, (est enim mandatum ad vitam & non ad mortem, Rom. 7. 10.) sed pedagogià quadam utitur, quod in egrotis ac prostratis nostris animis medicina desiderium excitet, sitq; pedagogus noster ad Christum. Galat. 3. 24. qui est finis Legis, Rom. 10. 4. sicq; efficacior miserendi causa Deo prebeatur. Quia ubi abundat peccatum, ibi superabundat gratia, Rom. 5. v. 20.
8. Posterior est Didacticus & *ἠγεμονικός*, ut pijs ac renatis sit regula & norma vita, in qua ceu in speculo lucidissima Dei voluntatem conspiciant, juxta quam actiones suas ita conformare possint, ut certo sciant, quæ opera Deo probentur, quæ ipsis contrà sint evitanda. Ez. 20. 19. Exod. 24. 12. *νεὲ ἐξ ἐπιβάτης ἐδεδοσθησὶν* sibi cultus quosdam eligant ac faciant: Matth. 15. 9. Coll. 2. 23.
9. Atq; hunc tertium Legis usum sententia Pauli Roman. 2. v. 19. 20. praeclare explicat: Iudæus cognominaris & acquiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem ejus, & probas meliora instructus per Legem, confidis te ipsum esse ducē cæcorum, habere formam scientiæ & veritatis in Lege. Quæ verba etsi in illos, qui renascencia dono exciderunt, dicuntur: tamen necessariâ consequentiâ inde conficitur, eos eundem in finem, sc. ad vita informationem, Lege uti potuisse, quo in alios sunt usi.

C

Et

10. Et renati quantissse hic vivunt, peccato perfectè nondum sunt mortui: ideo nec Lex tantissse est inutilis.
11. Neq; tam opulento spiritu sunt pradii, ut omnia, ac singula ejus impulsu exequantur: & vel hoc nomine necesse est, renatos lege esse instructos. Rom. 7.
12. Accedit quod nec protoplastos ante Legem in statu innocentia prorsus sine Lege vivere Deus voluerit, Genes. 2. 17. etiamsi ipsorum cordibus perfectam Legem insculperat, cum ad similitudinem & imaginem Dei fuerint conditi, Genes. 1. 27. Eph. 4. 24.
13. Deniq; est & τὸ κρυπτόν & nota indubitata hominis verè beati ac justificati, qui Lege Domini delectatur, inq; eà noctu atq; interdium meditatur: Psal. 1. 2 ut sicut jam in carne esse desijt, Rom. 8. 8. nec sub Lege amplius vivit, ut ab illa agatur, ceu Servus: non tamen desierit in Lege vivere, ut non secundum Legè agat, ut Liber.

X.

Ex his facile est judicium ferre: I. De peccati revelatione: Num ex Lege, an vero ex Evangelio peccata convincantur?

1. Nam & mundum de peccato arguere, convincere, ac damnare non minus esse Sp. S. munus, quàm mentes consternatas consolari, quia Christus Iohân. 16. 8. asseverat, nostra Ecclesia de eo nihil quietam subdubitant. Verum id modo in controversiam venit, ministerione Legis, an Evangelij suum hoc ἐλεῦθον officium exequatur?
2. Si qui illud Evangelio ascribunt tanquam ejus proprium, his in faciem Apostolus contradicit atq; axiomaticè respondet: Ex Lege est agnitio peccati, Rom. 3. 20. ubi ut terminus peccati indefinitè positus equipollet universali: Omnis peccati agnitio est ex Lege: ita sub idem peccati nomen nihil venit, quod sub Legis accusatione non contineatur.
3. Ejusmodi complures Aphorismi passim in Paulinis reperuntur scriptis, ut Rom. 4. 15. ubi non est Lex, h. e. ubi suum vigorem non obtinet, ibi non est prævaricatio, i. e. peccati scditas non cognoscitur.

Ma

4. Maxime verò memorabile est illud, Rom. 7. 7. Peccatũ non cognovi, NISI per Legem; quæ enunciatio propter additam exclusivam non modo alterum doctrina cœlestis genus Evangelion, ab officio peccatum arguendi omnino excludit, sed & æquipollet universali: Quicquid peccatum ostendit, arguit, ejusq; sensum inducit; primo, per se ac propriè Legi id est ascribendum.

5. Quam maximam Theologicam B. Lutherus suam sibi fecit, in positæ Antinom: hunc in modum: Quicquid peccatum arguit quodcunq; & quomocunq;, id Legis habet rationem, & ad Legem pertinet, sive id in Veteri sive in Novo Testamento fiat. Cui axiomatici & aliud contradistinctum, quod in Comm. ad c. 1. ad Gal. legimus, opponit: Quandocunq; predicatur gratia Dei & remissio peccatorum per Christum, hęc verè Evangelion predicatur.

XI.

II. De incredulitate in Christum, quæ peccatorum omnium fons ac radix est. Num & isthæc à Lege convincatur & condemnetur?

1. Præcedentis porismatis in Jæcis alterã hanc questionem facile ac dilucide expedire potest. Qui n. omne dicit, nihil excludit: ac per hoc cum omne peccatum ex Lege argui jam jam fuerit demonstratum: est & idem de hoc incredulitatis peccato statuendum, quod summum & maximum peccatum, quod & peccata reliqua omnia, ne remittantur, facit.

2. In hunc sensum B. Lutherus in Gen. 22. fol. 303. Reducitur, inquit, & opus fidei in Christum & peccatum oppositæ incredulitatis ad primum præceptum. Quia lex concionatur in genere verbo Dei esse credendum, & non credere esse peccatum.

3. Valeat hęc sententia gravissima Salvatoris; Nolite putare, quod EGO vos accusaturus sum apud Patrem: est alius qui vos accusat Moses, Ioh. 5. 45. Imo tantum abest, ut Evangelion, seu Christus praco ille justiciæ Evangelicæ incredulitatem propriè ex Evangelio arguat & condemnet, ut potius à mensurâ à Lege damnatam gratis condonet.

Adhuc de LEGE: restant controversiæ de EVANGELIO.

Euangelion improprie est concio poenitentiae.

1. Superioribus annis inter socios August. Confessionis de propria Euangelij definitione, solius-ne gratia, an poenitentiae sit concio, a^{no} u^o u^o fuit pugnatum. Nec fuerunt ociose Theologorum argutie ac verborum duntaxat concertationes, sed de salutis nostrae fundamento agebatur. Quod & Pontificij animadvertentes, ut vel ex istis velitationibus nebulam luci huic de Iustificatione iam amplius B. Lutheri opera accensa objectarent, alienam litem sibi suam fecerunt & harum de Euangelij definitione eontentionum participare voluerunt. Bellarm. lib. 4. de Iustific. cap. 2.
2. Ideoq; ut ceteras Theologicas discordias seculo nostro motas, ita & hanc controversiam Sanctissimus liber Formulae Concordiae, qui nostrarum est Ecclesiarum homologeticus, fide & integritate Theologica rite explicavit & composuit. Artic. 5.
3. Et potest res sine sophisticâ negotio nullo componi, dummodo exquisita vocabulorum EVANGELII & POENITENTIAE ambiguitates prius explicentur. Vox enim EVANGELII in N. T. geminam habet significationem. Primò ἀληθινός ἔστι δὲ ὁμοίως Legi opponitur, atq; idios & eiduōs alteram duntaxat totius doctrina Christiana partem, plenam suavitatem, plenam faustis omnibus, ut & ipsius etymon innuit, notat, nempe doctrinam de gratiâ Dei nobis in Christo fide apprehenso promissâ. Marc. 1. 15. Agite poenitentiam & credite Euangelio. Rom. 10. v. 15. Quàm speciosi sunt pedes euangelisantium, euangelisantium bona. Sed non omnes obediunt Euangelio. Rom. 1. v. 16. 1. Cor. 15. v. 1.
4. Deinde ἄρχὴν, ἀρχαίως ἔστι δὲ ὁμοίως seu abusive sumitur de toto ministerio N. T. seu de universâ doctrina, quam Christus, Euangelista & Apostoli proposuerunt, propagarunt & in literas retulerunt. e. g. Marc. 1. v. 1. Initium Euangelij Christi, hoc est, Initium totius voluminis, vitam, actiones, conciones & passiones Christi comprehendentis. Similiter Salyator iamjam è mundo visibilia

sibili abiturus Apostolos suos tanquam scribas ad regnum caelorum edoctos, h. e. scientiâ & cognitione rerum Theologicarum instructos jubet, ut omni creatura Euangelion predicent. Marc. 16. v. 16. Quidve Euangelij notione velit, dudum docuerat, ubi eos primò ministerio verbi destinaverat, nempe ut ex cordis sui thesauro ambo doctrina caelestis capita, Legem & Euangelion, debito discrimine debitaq. juncturâ proferrent. Matth. 13. v. 52. Sed sunt & alia Scripturarum testimonia, qua idem invicte arguunt, terminum videlicet Euangelij esse generalem, quo veniant omnes Christi & Apostolorum conciones, sive ista fuerint *ἐκ τῆς λέξεως* sive *παρὰ τὴν λέξιν*. Matth. 4. v. 23. Luc. 9. v. 6.

5. Ceterum & vocabuli (POENITENTIA) homonymia fuerit declaranda. Aut enim *ὁλησις* pro totâ hominis Conversione ad DEVM, cujus partes Contritionem & Fidem ingeminamus, accipitur. Luc. 13. v. 3. Luc. 15. v. 7. 10. aut *παισις* de primâ solum conversionis parte, nempe de seriâ animi contritione ac compunctione ob admissa peccata intelligitur, & à Fide tanquam parte altera distinguitur. Marc. 1. v. 15. Agite Pœnitentiam & Credite Euangelio. Act. 20. v. 21. Paulus testificatur Pœnitentiam & Fidem.
6. Hactenus subjectum & predicatum, Euangelij & Pœnitentia vocabula suis homonymijs liberavimus: fiat porro equivocatorum applicatio; & manifesta erit propositi theorematum nostri veritas.
7. Si voces ista generali ac laxo significato accipiantur, sic ut Euangelion pro toto N. T. ministerio sumatur, intelligaturq. Pœnitentia pro totâ hominis conversione, predicatio pœnitentia haud impie, at improprie seu generaliter appellari potest Euangelion.
8. Sunt q. hujus nostræ assertionis argumenta & Divina & Humana. Divina suppetunt nobis non pauca: Primò enim postquam Christus docuit pœnitentiam & remissionem peccatorum, Luc. 24. v. 47. Evangelistæ summam doctrina Christi verbo quasi expressuri, predicasse eum commemorant Euangelion regni Dei, Matth. 4. 2. Marc. 1. v. 14.

9. Deinde Salvator à resurrectione suâ Apostolis totum illud apud gentes docendi ministerium commendaturus, predicat, inquit, Evangelium omni creaturae, Marc. 16. v. 16. quid autem Evangelij predicatione velit intelligi, id $\text{\u0394} \text{\u03bc}\epsilon\gamma\text{\u0399}$ exponitur, tum apud Mattheum c. 28. v. 19. 20. ubi, posteaquam Dominus doctrinam & baptismum expressisset, immediate addit: (Docentes eos servare omnia, quae praecepi vobis:) tum idem in Lucâ c. 24. v. 74. enarratur, distinctione Evangelij factâ in duo capita de penitentia & remissione peccatorum.
10. Apostolus deniq; suum illud ministerium, quo in plantandis Christi Ecclesijsungebatur, describitur, id $\epsilon\nu \tau\omega \delta\iota\alpha\mu\alpha\gamma\epsilon\tau\epsilon\sigma\text{\u0399} \tau\omega \text{\u0399}\alpha\text{\u03c3}\text{\u03b9}\nu$ consistere innuit; cujus capita itidem & Penitentiam & Fidem in Christum facit. Act. 20. v. 21. 24.
11. Satis fuit Divinorum: sequuntur testimonia Humana, de quibus, quatenus sacris literis subordinantur, verè constat, quòd vim habeant in conclusionibus theologicis astruendis, humanam quidem, sed eam tamen magnam.
12. In acie primâ collocamus Philippum Melancthonem, qui primus hujus definitionis, quòd Evangelion sit concio penitentiae, autor perhibetur. Is in Oratione quadam de Ecclesiâ, quam mense uno ante obitum suum pronunciauit: Complector, inquit, hoc nomine Evangelij doctrinam penitentiae & promissionis, imò & capita in Symbolis collecta: sicut Apostoli appellatione Evangelij utuntur de totâ ministerij sui doctrinâ. Sit igitur candor in interpretatione, ubi vera explicatio est adjuncta. Haectenus Melancthon: cujus interpretationem cæteros $\Phi\iota\lambda\iota\pi\pi\omega\text{\u03c3}\text{\u03b9}\nu\text{\u0399}\nu\text{\u0399}\varsigma$ sequi, par erat.
13. Et fuit hæc Evangelij descriptio B. Luthero non infrequens. Is in disput. 3. propos. 34. contra Antin. Christus, ait, per Evangelion arguit, increpat, minatur, terret & similia officia legis exercet. Et in Ioelis c. 3. Per Evangelion accusatur peccatum. Item Evangelion arguit peccatum. Similia loca leguntur in scholijs Marginalib. ad dictum, Ioh. 16. v. 9 & in præfatione epistola ad Rom.

14. Eandem generalem loquendi rationem servat Apologia Augustana Confessionis: dum Art. 12. ait: Hac contritio ita fit, quando verbo Dei arguuntur peccata: quia haec est summa praedicationis Evangelica, peccata arguere & offerre peccatorum remissionem.
15. Ex quibus id, quod volumus, conficitur; nimirum si vocabula Evangelij & Pœnitentia late sumantur; posse per Synecdochen, cum potior pars tribuitur toti, totumq. ab illa denominatur, Evangelion dici pœnitentia concionem, sicq. sentientium opinionem dextrè intellectam aliquo modo tolerari. Quam vocum generalitatem rectè observavit Lutherus, iniquens in disput. Antinom. Evangelion predicat pœnitentiã ministerio Legis. Et in Smalcaldicis articulis: Novum Testamentum retinet ministerium Legis, accusantis peccatum & urget illud.

XIII.

Est Evangelion primò ac propriè prædicatio gratiæ.

1. Si à fide pœnitentiæ, à Lege Evangelion & dixerimus ut partes à partibus contradistinguantur, arctaq. significatione voces istæ intelligantur, nullo modo concio pœnitentiæ dici potest Evangelium, sed est doctrina de gratuita peccatorum remissione nobis per fidem in Christum facta.
2. Illustri enim discrimine Salvator pœnitentiã & Evangelion ab invicem disiungit, quando distinctos constituit actus agendi pœnitentiã & credendi Evangelio. Marc. 1. v. 15.
3. Præterea si Evangelion strictè intellectum est, prædicatio pœnitentiæ, h. e. seriæ nimirum peccatorum agnitionis: annon secundus Legis usus omnino tolleretur? Ex Lege enim est agnitio peccati; & peccatum non noscitur, nisi per Legem. Rom. 3. & 7.
4. Posita itaq. hypothesis manet certissima ac verissima, quod se. Evangelion propriè sit Gratiæ prædicatio; estq. ita certa, ut omnia penè quæ doctrina de Christo, h. e. Evangelio propriè sic dicto, sunt conjuncta, à Gratiâ denominationem sortiantur, uti Theologi eruditè observarunt. 1. Nomen ipsum doctrina Evangelica. Latè enim nuncijs

- nuncijs seu euangelion nunciantibus comes semper esse gratia.
2. Tempus. A quo enim tempore de Christo fuit predicatum, id tempus gratia vocatur. 3. Ministri, quorum esse pacem & bona annunciare. Rom. 10. v. 15. 4. Ipsum doctrina Euangelica subjectum, Christus, qui plenus gratia esse dicitur, Ioh. 1. v. 14. à quo accipiamus omnes gratiam pro gratia, v. 17.
5. Præterea ne mortalium quisquam in hoc suo peccati statu vel minime ex Lege de gratia Dei, iusticia ac salute consequenda suspicionem conciperet; neve contra quis ex Euangelio vel minimum peccatum & iram Dei extimesceret; in ista inquam, Legis ac Euangelij contentione, Legi quidem ignominiosas quasi & contumeliosas, ut B. Lutheri verbis utar, appellationes Scriptura tribuit, nominando illam ministerium mortis 2. Cor. 3. 7. potentiam peccati. 1. Cor. 15. 56. ministerium damnationis, 2. Corint. 3. 9. jugum servitutis Gal. 5. 1. operationem ira Rom. 14. 15. infirmum & egenum elementum Galat. 4. 9. literam occidentem. 2. Cor. 3. 5. Euangelio autem amplissimas ac gratia plenas ascribit appellationes, utpote quod sit verbum vita Ioh. 6. 68. ministerium Spiritus. 2. Cor. 3. 8. ministerium iustitia in gloria 2. Cor. 3. 9. &c.
6. Sic itidem & symbolici nostrarum Ecclesiarum libri sentiunt. Principio autem Augustana Confessio non variata illa quidem, nec mutata, sed genuina, ut, inquit, fidem consequamur, institutum esse Euangelij ministerium &c. Art. 5. Quod autem spuriam istam Confessionem concernit, qua Artic. 4. & 5. cocysmum illum de Euangelio predicante penitentiam & arguente peccata crudius ingerit, germana confessioni præjudicare nihil debet.
7. Deinde & Apologia August. Confessionis, in duo, inquit, opera Dei distributa est tota Scriptura. Altera pars Lex est, qua ostendit, arguit & damnat peccata: altera est Euangelion, id est, promissio gratia in Christo donanda.
8. Lutherus, quoties Euangelion à Lege, penitentiam contritionem à fide

fide distinguit, toties Euangelio denegat pœnitentiæ concionem. In disputat: enim Antinomicis disp. 1. propos. 25. Uniuersa Scriptura docet, pœnitentiã esse à Legge. Et propos. 31. Necessè igitur est, peccatum & mortem indicare per Legem & non (NB. negatiuam) per uerbum gratiæ & consolationis, quod est Euangelion. Et in Postill. Ecclesiast. Dominica 8. post Trinitat. fol. 256. Euangelion iram non concionatur, nec horrorem & terrorem inquit, sed solummodo conscientias perterrefactas solatur.

XIV.

Euangelion non noua Lex est.

1. *Lerna hæc est immensa confusio, quòd Romanenses Christum fingunt nouum Legislatorem, atq; doctrinam de Christo nominant nouam Legem, cuius obseruatione salus constet, perinde ut Israelitis constiterit Legis Mosaicæ obseruatione, aut Patriarchis ante Mosén obseruatione Legis naturalis. Catechis. Roman. fol. 117. Concil. Trident. Sess. 6. Can. 21. Bellarm. lib. 4. de Iustit. c. 5. Sed uera sunt prestigia, per quas Monachi id agunt, ut doctrinam Euangelij appellando nouam Legem, nouam itidem iustitiam, uidelicet operum eliciant.*
2. *Quem errorem primitus genuisse uidetur affectata Scholasticorum ignorantia de termino Euangelij, cuius homonymiam superius explicauimus. Si enim Euangelion de libris Apostolicis de q; materijs uniuersis, quas libri isti complectuntur, interpretaris, non inficiamur, Euangelio & fidem, & fidelium mores inculcari, uti Augustinus de fide & operibus cap. 9. in hunc sensum disserit. Et Hieronymus in prologo super Marcum contendit Euangelia esse ex quatuor contexta. 1. ex præceptis, quæ iubent declinare à malo. 2. ex mandatis, quæ iubent facere bonum. 3. ex testimonijs, quæ ostendunt, quid sit de Christo credendum. 4. ex exemplis, quæ perfectionem monstrant, ut discere à me. Laxo igitur significatu Euangelion dici potest doctrina operum seu legalis.*

D

Verum

3. Verum si accuratius ac distinctius notionem Euangelij exploramus, quatenus Legi Dei seu Decalogo aduersus quos opponitur, non opera facienda vel omittenda nobis Euangelion prescribit, sed de gratia & iusticia fidei concionatur. Præter quàm enim quòd propositum hunc aphorismum, cetera etiam argumenta præcedentis thematis veritatem confirmantia præclare demonstrant; habet & hic locum sanctissima in hac Baptista asseveratio: Per Moſen Lex lata est; Gratia autem & Veritas per Christum Iesum facta est, hoc est, Quicquid habet rationem mandati & comminationis, ex Lege est seu Mose; Quicquid autem habet rationem promissionis gratiæ gratuita, id Christo eiusq; Euangelio est ascribendum.
4. Falsum igitur est Pontificiorum effatum, Euangelion scilicet esse novam Legem; interim tamen non negamus Legi iępulſivam quandam & dæmoniacam Euangelij doctrinam accedere. Sit ergo theorema

XV.

Euangelium monstrat & tradit aliquas Legis explicationes, quas ex Mose solo non ita evidenter est colligere.

1. Ut rectius intelligatur, quales istæ sint Evangelica circa Legis sensum interpretationes, unam item atq; alteram adferre libet. Principio Lex DEI aut propria vitæ sanctimoniæ tumidis, aut animo dejectis proponitur. Qui verò cumq; Legem absq; adhibitâ Euangelij interpretatione docti sunt, in illos verè congruit, quod Moses ait: Audistis quidem & vidistis, sed non dedie vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures, quæ possent audire.
2. Alij enim ne propter exactionem Legis rigidam cum Caino Gen. 4. 13. & Iuda Matth. 27. 5. in desperationis barathrum precipites ruant, sed ut certò sciant, Legem ipsis non ad mortem datam Rom. 7. sed eâ de causâ conscientias à Lege perterrefieri, ne qua

ne qua eorum animos fiducia & propriarum virium gloriatio occupet, Rom. 3. 27. hanc inquam, salutarem sapientiam non ex sola Lege discimus, sed concio Evangelica nos docet; sine qua proximis ad desperationem patere aditus.

12

2. Aliorum animi quod Lege non concutiantur, vixque moveantur, sed cum Phariseo Luc. 18. 11. magis magisque hypocritico fastu inflentur, praesumentes videlicet, Deum non frustra non modo obedientiam à nobis flagitare, sed etiam bona obedientibus polliceri: hujus, inquam, contrarij, qui per accidens est, Legis effectus (quod nimirum quis Legis obedientiam se prestare posse, lepidè sibi imaginem) si causam ex Lege quaesiveris, nullus scies. Evangelion vero digitis quasi monstrat velamen Moysi 2. Corinth. 3. 15. quod, quoad internis hominum oculis obductum manet, foris solum animos nostros tenebricosos perstringit. Est enim Evangelion lux, qua mentes nostras illuminat, tenebras cordis dispellit, & velum illum explicet, ut Legem intuendo, ex eadem intimam naturam nostram corruptionem cernere queamus.
4. Ex hac igitur, quam ratione objectorum instituumus, Evangelij declaratione, Legis necessario adimplenda adiutoria nobis innatescit.
5. Præterea quo modo imperfecta reatorum obedientia, multisque peccatorum sordibus maculata, Deo complaceat, licet omnino sit legalis & ad legem conformanda, qualis qualis fuerit obedientia, id tamen non ex Lege, qua obedientiam simpliciter perfectissimam exigit & urget, sed ex solo Evangelio patet, quod nostrum defectum solè Christi satisfactione perfectissimam compensatum iri promittit.
6. Porro si externum duntaxat Legis sensum sequi velimus, ita ut Evangelij interpretatio non accedat, quo censu externa & honesta Ethnicorum, qui sine Christo vixerunt, conversatio fuerit habenda, non ita commodè intelligi posset: Evangelion autem docet, mundum à Spiritu Sancto peccati etiam in honestissimam vitam

vitâ redargui, & condemnari, quoniam videlicet non credit in Christum.

7. Ex quibus & illud est manifestissimum, quo nimirum loco creberimæ ista consequentia & antitheses (e. g. Qui non credit, condemnabitur, Iohan. 3. & c.) à Christo & Apostolis subinde repetitæ sint habenda: quod nimirum non aliter ad Euangelion pertinere, nisi quatenus Lex Euangelio propter Ecclesie usum conjungitur. Semper itaq; est attendendum, quæ *νομιμῶς*, quæ *ἐπιτάγῃς* dicantur: sicq; rectè ac piè cum B. Luthero in comm. 2. ad Gal. concludimus: Quod præcepta in Euangelio reperiuntur, illa non sunt Euangelion; sed expositiones Legis & appendices Legis.



MA
2XXII
6
a studiosam Sacrarum litterarum
juventutem in Acade-
miâ Rostochiensi, XXVII. Octob.
propositum

à
M. CHRISTIANO SLEDANO.




ROSTOCHII
Ex Officinâ Typographicâ Stephani Myliandri,

Anno M. DC. V.

IN CHRISTIANO SEEDANO



ROSTOCK
In Off. in Typographia Stephani Calandria
anno M. DC. X.



6
a Studiosam Sacra
rum juventutem i
miã Rostochiensi, XXV.
propositum

à
M. CHRISTIANO S
INO.



ROSTOCHI
Ex Officinã Typographicã Stephani
Anno M. DC. V.

